

sed naturale, & à natiuitate ipsa à deo & rege illud suscipiente. Perstringuntur autē hoc loco quod non sint in ueritate, quia uocem eius audire nolunt. Et quum non sint ex ueritate, mendacia utiq; contra ipsum finxerunt, & nō uere mortis reus est. Sic igitur paucis illis uerbis Pilatū rapuit: atq; ita ut de ueritate interrogarit, quid sit. Ferme enim inter homines abolita erat, & ignorabatur ab omnibus in infidelitate adhuc permanentibus. Quia autē tempore quidem indigebat proprio quæstio hac, & urgebat ut eriperet Iesum à Iudæorū furore: idcirco egreditur ad eos, & dicit: Ego nullā causam inuenio in eo. Et id quoq; sapienter. Non enim dixit: Quamuis peccauerit & dignus sit morte: at tamen feli priuilegio eum gaudere facite. Primū autē eum liberauit ab omni crimine, & tunc orat eos ut absoluant: ut si quidem absolutus fuerit Iesus, nulla eis gratia debeatur, dimississent enim innoxium. Si autem cōdemnarint, ostendat eorū malitia, quod innoxium condemnarint. Vide autē quē sensum habeat, quod dicit illū regē Iudæorū. Manifeste enim per hoc excusat Pilatus Iesum à peccato alienū: sed frustra arguitur ab eis, ut regnum desyderans. Non enim si regem se faceret, & contra Rhomanorum potentiā extolleret, dimitteret eum Rhomanorū præses, & ita dicendo: Num regem illū Iudæorum dimittam? per omnia Iesum innoxium declarat, & deridet Iudæos, quasi talia dicens: Quem uos accusatis falsū ut regnum inuadentē, & rebellantem, ac seditiosum dicetis, illum oro ut absoluat: & manifestum quod non ita sit. Quidam autē in hoc natū esse, non intellexerūt de æterna illa à patre natiuitate, sed posteriore ē uirgine. Propterea enim factus sum homo, & natus ex Maria, ut mendaciū & diabolū expellā, diuinā naturā ostendens regnare super omnia. Veritas igitur, hoc est mea scientia & salus quæ per hanc: propter hoc scilicet ueni, ut ueritatem, scientiam dei, & salutem largiar. Dignum autem est ut quæratur, unde moti Iudæi consuetudinem habeant dimittendi unum uinctum. Primo enim dicere possumus, quod docentes doctrinas mandata hominum, plurima iuxta sua capita protulerunt, nec diuinis usi fuerūt legibus: unde & hoc ita se habet, inq; consuetudinem abiit etiam absq; ratione, qualia multa absq; legis præcepto. Deinde talis inuenta est lex in scriptura, à qua uerisimile profectas esse absolutiones illas condemnatorum. Scriptum est enim de eo: Qui præter uoluntatem suam occiderit, si nō propter inimicitias, uel dedita opera affligere uoluit uicinum, iaciens uas uel lapidē, & casu percussus prætereuntem, moriaturq; homo, inuoluntarius sit homicida talis, iudicabit autem omnis synagoga, & absoluent quidem illum à morte: non enim maligna mente occidit. Constituent autem eum in ciuitate refugij, hoc est fuga multabunt. Ex hoc forte impulsus, ut coniectare possumus: ita enim morem firmarunt, ut absoluantur qui de homicidio fuerint condemnati. Nam lex quidem iubebat hoc esse officium synagoga Iudæorum. Et quia Rhomanis cesserat regnum, Rhomanos fecerunt dominos absoluenti, sicut & nunc Pilatum.

Num. 35.

Clamauerunt rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.]

CAPVT XIX.



Vnc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites pleçientes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circumdederunt eum, ac dicebant: Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoscatis quod nullam in eo causam inuenio. Exiuit ergo Iesus foras, gestās spinēam coronam, & purpureum pallium, & dicit eis: Ecce homo. Quum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori: quia filium dei se fecit.] Vide perquā multa monstratur Iudæorum malitia: Barabbam enim manifestarium latronem petunt, dominum uero tradūt. Flagellat igitur eum Pilatus, ut consoletur & mitiget eorum furorem. Nam quia uerbis non potuit eum eripere, flagellat, studens

studens & ipse uel per hoc infaniam eorū placare. Et permittit ut chlamys & corona ei circumponantur, quo eorū ira exhauriatur. Milites uero omnia ad gratiam ludæorū faciunt. Nam quia audierant Pilatum dicentem, Regem illum ludæorum dimittam: irrident nunc eum ut regem. Neque enim à Pilato instigati hoc faciebant, qui etiam & nocte inuaserant Iesum præter sententiam præsidis, pecuniarum gratia ludæis gratificantes. Placidus enim erat Pilatus, & non efferis moribus, sicut ludæi. Porro educit Iesum, iram illorum extinguere uolens: sed illi neque sic mansuefacti sunt. Clamant autē, Crucifige eum. Quum uidisset autem Pilatus omnia hæc frustra fieri, dicit: Accipite eū uos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Facit autem hoc, impellens eos in rem eis non concessam, si forte sic absolueretur Iesus. Nā ego quidem (inquit) habeo potestatem crucifigendi, nullamque inuenio causam: uos autem non habentes potestatem crucifigendi, dicitis eum reum. Accipite igitur eum, & crucifigite, sed non habetis potestatem. Itaque talis quidem erat mens Pilati, mitior uidelicet quam par erat, neque seueriter pro ueritate instans. At illi etiam in hoc confusi, dicunt quod secundum nostram legem debeat mori, quia filium dei se fecit. Vide quomodo malitia sibi non constet. Supra dicebat eis Pilatus, Accipite eum, & secundum uestram legem iudicate, & illud non approbarunt: nunc iterum dicunt, secundum legem debet mori. Supra accusabant, quod fecisset se regem: nunc de mendacio redarguti, accusant quod filium dei se fecerit. Tamen si quid hoc criminis fuerit: Si opera dei facit, filium dei esse quid prohibet? Vide autē diuinam dispensationem, quomodo illi quidem ad multos iudices duxerint dominum, ut infamarent & contaminarent eius gloriam: sed contumelia in caput ipsorum reciderit. Hinc enim magis insons demonstratur, rem tam diligenter disquirentibus. Quoties uel Pilatus confessus est se nihil inuenire morte dignum?

Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset à supernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Pilatus quidem audito breui sermone, quod sit filius dei, pauescit. Illi etiam operibus diuinis uisis, eum occidunt propter quæ adorare oportebat. Interrogat autē eum, non ut prius, Quid fecisti: sed, quis es tu? Nam quia tunc quidē ut regni inuasorem arguebant, merito rogabat, Quid fecisti? Nunc autem, quia accusant quod filium dei se fecerit, rogat, Vnde es tu? Iesus autem tacet. Didicerat enim ab eo Pilatus, quod in hoc natus sit: & regnum meum non est hinc: attamen nihil ex his percepit utilitatis, neque restitit alijs pro ueritate, sed cessit turbæ tumultuanti. Idcirco dominus interrogationes eius, utpote factas temere, respuens, nihil respondet. Omnino autem uidetur Pilatus non esse feruidus & constans, sed is quem uel pauca quædam terribilia menta concutiunt. Nam & ludæos timebat, & Iesum ut filium dei horrebat. Videamus autem quomodo seipsum condemnet, per ea quæ dicit: Potestatem habeo crucifigendi te, & potestatem habeo dimittendi te. Si enim hoc totum habes, & in te situm erat: quare non dimisisti, quem innoxium inuenisti? At dominus fastum eius depri-mens, inquit: Non habuisses potestatem ullam, nisi fuisset tibi supernè datum. Non enim ita simpliciter morior, sed mysticum aliquid perficio, & prædefinitum est hoc supernè in salutem hominum. Ut autem quum audieris quod supernè sit datum, ne existimes Pilatum apud deum à culpa liberatum: statim subinfert, Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Ostendit enim hinc & Pilatum peccato, quamuis minori, obnoxium. Non enim quia supernè datum est, hoc est concessum est, ut moriatur Christus, statim extra noxam sunt Pilatus & ludæi: sed uestra quidem uoluntas malum uoluit, deus autem permisit & concessit, ut in opus hoc progrediatur. Igitur mali non sunt citra culpam, quia deus permittit ipsorum maliciam prodire in opus: sed eo quod & uolunt & faciunt, omni condemnatione sunt digni.

Et ex eo quærebat Pilatus absoluere eum, ludæi autem clamabant, dicētes: Si hunc

absolueris, non es amicus Cæsaris. Quisquis se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem quum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, seditque pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotus, Hebraice autem Gabbata. Erat autem parasceue paschæ, hora ferme sexta.] Postquam dominus perstrinxit Pilatum per uerba & excusationem, manifeste adhibuit, quod nisi uoluntarius ego me ipsum dare, & pater concederet, non habuisses potestatem contra me. Et quod peccatum habeas & tu & Iudas, tamē maius quam me tradidit. Vel etiā populus, eo quod super dolorē uulnerū meorū addidit, & non est recordatus ut faciat misericordiam: sed quū inuenisset me consilio & adiutorio destitutum, cruci tradidit: & neque talia iudicia, in quibus innoxius declaratus sum, eū placarūt, sed clamarūt: Crucifige, crucifige. Igitur quū Iesus dictis dominus perstrinxisset Pilatū, quærebat ex hoc magis dimittere eū. Iudæi autē accusauerāt quod se fecerat deū, & sua lege arguerant. Nā Pilatus ex hoc magis timuit, & uoluit dimittere eum, ne forte deum offenderet. Iterū igitur cōfugiunt ad eos qui extra legem, & ambiciosum terrent Pilatum. Nam quia uiderant eum pietate moueri, ne filium dei occidendo Iesum peccet, metum Cæsaris incutiunt: & accusantes dominum de tyrannide, Pilatum magis terrent, quasi offensurum Cæsarem, si rebellem illum dimittat. Et ubi ille in tyrannide deprensus? Unde autem hoc ostendetis, num à purpura? num à diademate? num à militaribus signis? num omnia quæ habebat uilia? Et stola, & cibus, & domus? Imò ei nec domus erat. Sed o Pilatum parum uirilem. Periclitari sibi uisus est, si quidem hanc causam indiscussam negligeret. Nam uadit quidem quasi examinaturus negotium, hoc enim sessio significat. Nulla autem examinatione facta tradit illum, existimans illos placaturum. Quomodo autem

Marci 15. Marco dicente tertiam horam, quando Christus crucifigebatur, Ioannes sextam dicit. Igitur hoc soluunt quidam, quod scripturæ schema sit. Nam litera quidem tertiam horam significat, & est character eius talis γ. Litera autem quæ sextam signat, habet characterem talē ς. Verisimile igitur literā gamma à descriptoribus non attentis transisse quibusdam mutilatis, in characterem episeimi, quo sextus numerus signatur, & sic errorem hunc ortum. Quod autem hoc uerisimile sic factum esse, & tertiam horam scriptam esse, etiā apud Ioannem, & non sextam sicut nunc, manifestum hinc. Nam quum tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas consonanter dicunt, quod à sexta hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam: manifestum, quod dominus noster ante sextam horam, priusquam fieret tenebræ, crucifixus sit, scilicet circiter horam tertiam, sicut Marcus prodit & Ioannes similiter. Quamuis scribentium error mutauerit gamma in episeimi characterem. Et nonnulli quidem sic dicunt. Alij autem aiunt, quod Marcus quidem horam qua lata est sententia de crucifigendo domino manifeste & absque dubitatione ponat. Vtique quia crucifigere & punire ab eo tempore iudices dicuntur, quo sententiam proferunt: eo quod uis poenæ & mortis in linguis quoque sit. Eius gratia Marcus tertia hora crucifigi eum dicit, à qua Pilatus sententiam exposuit. Ioannes autem, quum Marcus dixisset tempus sententiæ, horam in qua dominum crucifixerunt, dicit. Cæterum considera quanta acta sint inter sententiam à Pilato de cruce & horam ipsam, in qua in crucem dominus ascendit. Quum dimisisset Barabbam, flagellauit Iesum, & tradidit eis ut crucifigeretur. Nam Barabbæ dimissio condemnatio erat domini. Illudunt milites, & uide quanto tempore uerberet ad maiorem illusionem. Eduxit eū Pilatus, & locutus est cū eo. Iterū ingressus diiudicat Iesum, iterū egressus loquitur cū Iudæis. Hæc omnia sufficiebāt ad insumendum tempus ab hora tertia usque ad sextā, quæ Ioannes exponens diligenter, utpote is qui alios fuit secutus, horæ sextæ meminit, quādo & tradidit eū perfecte ut crucifigat, non ultra loquens cū Iudæis, uel diiudicans Iesum, sed extremā proferens sententiā. Si autē quis dicat: quare circiter horā tertiā, quum dicatur crucifigi, iterum uult absolui illum? Discat primum quidē, quod à multitudine coactus dedit sententiam: deinde & somnio mulieris impulsus fuerit. Nūciabat autē illa ei, nihil tibi & iusto. Insup considera & Ioannē dixisse, quod fuerit hora ferme sexta: quasi non definiens, & in ambiguo relinquēs, dixit, ferme sexta. Et ita nihil diuersum, quod de hora non uident cōuenire Euangelistæ. Si quidem

dem cōcederemus esse differētiā. Vide enim hoc, num omnes dixerint quod crucifixus sit. At hoc quidem ab omnibus est confessum: de hora autē alius dicit esse tertiam, alius quasi sextam, & quid hoc obest ueritati? Veruntamen hæc demonstrata sint ex abundantia, quod nulla sit diuersitas.

Et dicit Iudæis: Ecce rex uester. Illi autē clamabāt: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regē uestrū crucifigā? Responderunt pontifices: Non habemus regē, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eū illis, ut crucifigeret. Acceperunt autē Iesum, atq; is baiulans crucē suā exiuit in eū, q̄ dicit Caluaria, locū, Hebraicē autē Golgatha, ubi crucifixerunt eū: & cū eo alios duos hinc & hinc, mediū autē Iesum.] Sæpe diximus quod Pilatus magis fuerit mollis & ambitiosus, quā asperis moribus. Vide em̄ & nūc, q̄ forma quidē examinis & iudiciij uti, sed omnino molliter rem agit. Ecce enim (inquit) rex uester, neq; enim Iesum condemnat, neq; Iudæos manifeste cōfutat: sed quasi occulte exprobrat eis, ut sycophantis, quasi dicat: Ecce qualē hominē dicitis attentasse inuadere regnū, uilem scilicet, & nihil tale attentare audentē, & ita accusatio uestra falsa. Quid enim habet ille quod tyranni: num milites, diuitias, nobilitatem? Ecce rex uester: quæ utilitas si hunc occideritis, quī hominē ne in minimo quidē nocere poterit? Et hæc quidem Pilatus nō instanter & firme, & pro ueritate certās. At illi: Tolle tolle, crucifige, inquit. Uerget & quærūt crucē propter malā opinionem, ut uelit adiudicari Christo. Ignominiosissima enim erat mors & maledicta, sicut dictum est: Maledictus omnis qui pender in ligno. Nesciuerunt autē quod sicut per lignum ruina, ita per lignū correctio. Insuper uide, quomodo aliū regem præter Cæsare non agnoscunt, uoluntarie se Rhomanorum imperio subijcientes, & dei regnū repellētes. Ideo & deus eos Rhomanis tradidit, quos sibi reges salutarant, destitutos diuino præsidio & cura. Tunc igitur tradidit illum eis inspiens. Oportebat autem inquirere, num uere habuisset potentiam ad inuadendā tyrannidem. At ille cedit improuidus, effœminatēq; sententiā dat. Portans autē crucem suā egreditur. Abominabile enim putabant omnino uel lignum attingere, & propterea condemnato & maledicto maledictum lignū imponunt. Vide autem & in ueteri typo quodam hoc factum. Isaac enim & illic ligna portans uadit ut immoletur. Ita & hoc loco dominus crucem habens uadit, quasi miles arma gerit, quibus aduersarium prosternat. Quod autem Isaac figura sit domini, manifestum. Isaac enim interpretatur risus uel gaudium. Quis autem alius gaudium nostrum factus est, quā is qui in conceptione humanæ naturæ per angelum χαῖρε, hoc est gaude, communicauit: Quæ enim uirgo audiuit Euangeliā, omnis natura suscepit. Huius Isaac pater Abraham, pater multarum gentium, qui est deus super omnia, qui & Iudæorum est pater & Gentium, cuius uoluntate & consilio crucem filius eius portat. Veruntamen in ueteri in sola uoluntate patris res stabat, figura enim erat: hoc autem loco opere completur, ueritas enim erat. Fortassis sicut illic Isaac dimissus est, & agnus immolatus est: ita & hoc loco diuina natura impassibilis mansit, humana autem natura, quæ & agnus dicitur, quia Adæ erraticæ ouis filius, immolatur. Quomodo autem alius Euangelista dicit, quod Simonem compulerint, ut ferret crucem? Vtraq; cōtigerunt, & in principio quidem dominus ipse crucem gerens exiuit: quia lignum maxime abominabile erat, & nemo alius attingere uolebat. Postquā autē exiuerunt, obuiam uenerunt Simoni, & ita imposuerunt ei lignū. Porro Caluariæ locū dicebāt, sicut narratio prodit, qd̄ illic sepultus sit Adā: ut ubi principij mortis, illic & casus eius fieret. Traditio enim ecclesiastica est, quia prior Iudaica, postquā eiectus fuit homo ex Paradiso, domiciliū ibi habuit in solatiū honorū quæ in Paradiso data ei terra illa, quæ omnīū aliarū optima esset & pinguiissima. Homines igit, q̄ tūc habuerunt pro miraculo mortui caluariā depilatā, in loco illo habitātes inde eū nominauerūt, & post diluuiū fama hæc à Noë in oēs diuulgata est. Vnde & dominus ubi fons mortis, illic moritur, ut illū siccet. Crucifigūt & duos alios cū eo. Ipsi qdē phocinā famare magis eū uolentes, quasi & ipse latro esset. Verūtamen & ipsi prophetiā in hoc inuoluntarij replerunt, nempe quod cum impijs reputatus est. Vide autem & dominī sapientiā, quomodo & hoc quod faciebant in iniuriā ipsius domini, in gloriam eius

Deut. 21.

Genes. 22.

Esaia 53.

uenit. Nam & in ipsa cruce latronē saluauit, quod nullo miraculo minus est, & ex hoc magis apparet deus, & ipse solus glorificatur, quamuis & alij glorificati sint: id quod non fuisset factum, nisi innoxius fuisset, & non (ut sic dicam) legis præuaricator, sed & supra omnem legem, & præuaricatorum iudex.

Scriptum autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt, quia prope ciuitatē erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicē, & Græcē, & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quod ille dixerit, rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Scribit & titulum Pilatus super crucem, hoc est causam & manifestationem, & inscriptionem. Ita enim interpretamur titulum. Significabat autem per titulū, cuius esset crux. Ceterū scribit titulum partim ulciscens se de Iudæis, ut sibi inobedientibus, & ostendens malitiā eorū quod insurrexerint cōtra propriū regē: partim & gloriā Christi defendēs: quia enim illū cū latronibus crucifixerāt, coquinare nomē eius uolentes, Pilatus ostendit qd nō fuerit latro, sed rex eorū: & hoc nō una, sed tribus linguis manifestat. Verisimile em̄ erat multos Gentiles propter festū cōmiscuisse se Iudæis, sicut & Euangelista superius docuit de quibusdam Gentilibus, qui uidere uolebāt Iesum. Ut igit omnes agnoscerēt, omniū uocibus Iudæorū insaniā infamauit. At illi etiā crucifixo inuidebant. Et quid dicūt: Scribe quod ille dixerit. Nā nunc quidē cōmunis sententia Iudæorū apparet. Si autem appositū fuisset, qd ipse dixerit se regē, uisum fuisset crimē temeritatis & arrogantiæ illius: sed Pilat⁹ nō obtemperauit, & in priori stetit sententiā, ideo dicit: Quod scripsi, scripsi. Ceterū & aliud magnū quiddā dispensat: quia defossis tribus crucibus, in ista māsūt, ut ne ignoret quæ esset crux domini: propter hoc dispensatū est, ut sola titulū haberet & inscriptionē, ut per si gnum tale cognoscere. Latronū em̄ cruces titulū nō habebant. Insinuat autem & sublimis quiddā inscriptio triplicibus literis inscripta. Manifestat em̄ dominū regē esse philosophiæ practicæ, & naturalis, & theologicæ. Practica enim per Rhomanas scripturas figurat. Nā Rhomanorū principat⁹ maxime uiriliter erat, & strenuus in rebus bellicis. Per Græcas uero naturalis, cui uocabāt Græci. Per Hebraicas deniq; theologica. Nam Hebræis diuinorū cognitio cōcredita fuit. Gloria igit ei qui per crucem apparuit tale habere regnum: & qui mundum uicit, practicam nostram uirtutem roborauit, scientiamq; naturæ largitus est, & ab illa nos duxit in interiora uelamenti, in suam dico scientiam & contemplationem, theologiam uidelicet.

Milites ergo quum crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius, & fecerūt quatuor partes, unicuiq; militi partē & tunicā. Erat autem tunica incōfutilis, à summo cōtexta p totū. Dixerunt ergo inter se: Ne scindamus eā, sed sortiamur de illa cuius sit, ut scriptura impleret, dicens: Partiti sunt uestimenta sibi, & in uestē meā miserunt sortem. Per illa potissimum implentur prophetiæ, per quæ diabolus insidiatur. Et uide ueritatem. Tres fuerunt crucifixi, attamen in hoc solo implentur prophetica dicta. Et considera prophetæ diligentiam. Non enim solum quod diuiserint, sed & quod partiti fuerant, dixit propheta. Igitur alia quidem distribuerunt, tunicam autē nō, sed sortiti sunt. Quod autem à summo fuerit contexta, non frustra fuit appositū. Et alij quidem dicunt allegoriam per hoc signari, quod non simpliciter homo fuerit crucifixus, sed & deitatem superne habuerit. Quidam uero genus dicunt tuniculæ Euangelistā narrare. Quia enim Palæstini duos pannos committendo contextunt uestes, pro futura utentes cōtextu: manifestans Ioannes, quod talis fuerit tunica, dixit quod à summo per totum fuerit contexta, hoc est ab initio & supernē usq; ad infima. Manifestat autem hinc uilitatem uestimentorū Christi. Alij autem dicunt, quod in Palæstina contextant licta, non sicut apud nos. Nam supra quidē est filū, infra aut cōtextit panno, & ita regressio fit, sed cōtrario modo: Sacramētū qd; & p hoc nobis insinuat. Nā corpus domini supernē quidē contextū est. Spiritus enim sanctus uenit super uirginem, & uirtus altissimi obumbravit eam: licet enim hominis naturam suscepit, quæ infra est, & ceciderit: sed supernē spiritus sancti gratia

gratia constitit, & compacta est diuina caro. Igitur sanctum corpus Christi indiuisibile est, & diuiditur, & communicatur in quatuor partes orbis, usum præbens singulis, & uniuscuiusque animam sanctificans, cum corpore per suam carnem unigenitus & integer, in oibus est existens ubique. Nunquam enim diuisus est, sicut & Paulus clamat. Quia autem ex quatuor elementis uniuersum constitutum est, intelligere licet per uestimenta Iesu, uisibilem & propositam hanc creaturam, quam daemones partiuntur, quando in nobis sermonem dei occidunt. Dant enim operam, ut suam faciant & nostram partem per affectiones ad mundana: sed tunicam non possunt diuidere, in his quæ sunt sermonis per quem omnia constituta sunt. Nam licet infinities decipiar à fluxu & transitorijs, sed iterum agnosco ea esse transitoria, & rationem ac substantiam prætereuntium & fallacium non ignoro.

Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria uxor Clopæ, & Maria Magdalene. Quum uidisset ergo Iesus matrem, ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Milites quidem faciebant pro sua insipientia. Ipse autem matris curam habet, docens nos usque ad extremum spiritum omnem habere debere curam eorum qui nos genuerunt. Et uide quomodo quum essent & aliæ mulieres, solius matris curam agat. Nam oportet quidem parentibus ad pietatem obsistentibus non parere, non obsistentibus autem omni cura seruire: sicut & ipse quum migraret è uita, & uerisimile erat matrem dolere, & præsidium requirere, concedidit discipulo præfecturam eius. Occultat autem proprium nomen Euangelista modestiæ gratia. Nam si uoluisset arrogans esse, & causam apponit propter quam fuisset dilectus. Etenim uerisimile erat magnam quandam istam esse & mirabilem. Iam papæ quomodo obseruat discipulum, fratrem suum illum faciens? Vusque adeo bonum est manere apud patientem Christum. Nam in fraternitatem illius ducit. Admirare autem quomodo in cruce omnia absque turbatione facit, matris curam agens, prophetias implens, latroni paradisum aperiens, ante crucem autem laborans, sudans, anxius: atque hæc quidem humanæ naturæ, illa autem diuinæ uirtutis. Confundatur Marcion, & omnes alij, qui Christum nugatur in mundo apparuisse iuxta apparentiam tantum. Nam natus non fuisset, neque matrem habuisset. Quomodo autem soror matris eius diceretur Maria Clopæ, quum non habuerit alium puerum? Clopas frater fuit Ioseph, & quum absque liberis esset mortuus Clopas (ut quidam dicunt) Ioseph eius uxorem duxit, & filios fratri peperit, quorum una & nunc commemoratur Maria, quæ soror dicitur deiparæ, hoc est cognata. Solet enim scriptura cognatos dicere fratres, sicut & Isaac de Rebecca dicebat, Soror mea est: quamuis uxor eius esset. Ita & hoc loco soror deiparæ dicitur, quæ Clopæ uxor habita est propter cognationem. Itaque quatuor Mariæ celebrantur in Euangelijs. Prima deipara, quam & Iacobi & Ioseph matrem nominat. Illi enim pueri fuerunt Ioseph ex priori uxore ei nati, fortasse uxoris Clopæ. Dicitur autem deipara mater eorum, quia nouerca. Vxor enim habebatur Ioseph. Secunda Maria Magdalene, è qua eiecit septem daemonia Iesus. Tertia Clopæ, & quarta Lazari soror. Assumpsit igitur discipulus Mariam in sua. Vide autem quomodo muliebris sexus permanet in aduersitatibus, & uiri omnes dereliquerunt dominum. Ita ergo uenit corroborans quod infirmum, & assumens quod nihili habitum.

Postea sciens Iesus, quod omnia consummata iam essent, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum. Illi uero impleuerunt spongiam aceto & hyssopo, & impositam admouerunt ori eius. Quum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. & inclinato capite tradidit spiritum. Quum uidisset (inquit) Iesus, quod omnia consummata essent, hoc est nihil intermittit quod suæ dispensationis erat: ita enim mors eius libera erat. Non enim prius mors corpus eius inuasit, quam ipse uoluit. Voluit autem quum compleisset omnia, propterea & dicebat: Postestatem habeo ponendi animam. Dicit itaque, sitio: prophetiam hoc loco implens. At illi impietatem ac mollicitatem suorum morum declarantes, aceto eum potant, id quod condemnatis faciebant: quia & hyssopum propter hoc aderat, ut lethale. Quidam autem hyssopum dicunt calamum.

Gen. 16.

Quatuor Mariæ.

Psal. 68. talis enim est summus calami. Circūponunt igitur calamo spongiā, eo quod in sublimi erat os Iesu, & ita prophetiam implent: Et in siti mea potauerunt me aceto, dicens. Potatus itaque dixit, Consummatū est. Hæc scilicet prophetia cū alijs, omnia consummata sunt. Absq; turbatione autē operatur & cū potestate omnia, quod declarant sequentia: & sic consummata sunt omnia. Inclinato capite, neq; enim ipsum affixum erat: Emisit spiritum, hoc est, expirauit, quamuis in nobis cōtrarium fiat. Primum enim expiramus, & deinde inclinamus caput. Ille autem prius inclinauit, deinde expirauit. Ex quibus omnibus manifestatur, quod ipse fuerit dominus mortis, & omnia secundum potestatem fecerit.

Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, ut nō remanerēt in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerūt Pilatū, ut frangerent eorū crura, ac tollerent. Venerūt ergo milites, & primi quidē fregerunt crura, & alterius q̄ crucifixus est cū eo. Ad Iesum autē quū uenissent, ut uiderent eū iam mortuū, non fregerūt eius crura: sed unus militū lancea latus eius fodit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Tradidit quidem spiritū dominus deo & patri, ostendēs quod posthac animæ iustorū in monumētis nō uersantur, current autē in manus patris omnium: sed peccatorū animæ in locū supplicij detractæ, hoc est in infernū depellē. At illi camelū deglutientes, & culicē liquātes, tali patrato facinore, de die obseruādo diligenter cogitant. Dicit enim: ut ne maneāt in cruce corpora, rogauerūt Pilatū, hoc est obsecrauerunt, ut tollant. Quare autē cōfringi crura eorū petūt: ut si etiā superuiuerent, inutiles essent. Latrones enim fuerāt. Nolebāt igit in die festo uideri punitores & homicidæ. Et aliter: Etiā lex ita præcipiebat, ne sol ocuberet in supplicio hominis. Vide autē q̄modo per ea quæ struūt Iudæi, prophetiæ impleatur. Sic ergo & in hoc loco duæ prophetiæ implentur, ut postea Euangelista dicit: Etenim ossa Iesu non cōfringūt quidē, pungūt tamē eū gratificātes Iudæis, & sanguis & aqua egreditur. Nā illi quidē etiā mortuū corpus contumelia afficere conant. At contumelia illis in miraculū uertit, & sanguinē quidē ex mortuo corpore prodijisse admirabile est. Veruntamē posset quis sycophantarū dicere, qd̄ uerisimile sit uitalē quandam uirtutē adhuc fuisse in corpore. Aqua autē egressa omnē cōtrouersiā de miraculo tollit. Nō simpliciter autē hæc fuit, sed quia ecclesia per duo illa & fit & consistit. Nā per aquā quidē generamur, p̄ sanguinē autē & corpus pascimur. Quū igit accedis ad calicē communionis sanguinis Christi, ita affectus sis quasi ex ipso latere bibas. Cōsidera autē quomodo p̄ fauciu latus, uulnus lateris, hoc est Euæ sanatur: & sicut in paradiso ubi Adā obdormiuit, oblata est ab eo costa, & hoc loco quū dominus obdormiisset, costā militi dedit. Rhomphæa autē militis figura est rhomphæa uersatilis, quæ phibet nos à paradiso: quia omne quod uersatur, nisi quid obsistat, non absistit à suo cursu, dominus ostendens quod Rhomphæam illam sistat, supponit in figura latus frameæ militis: ostendens nobis qd̄ sicut framea militis appulsa lateri stetit, ita & flāmea stabit, & nō ultra interminet, & uersione sua exterreat, phibēdo ingressum in paradysum. Cōfundant Armenij, q̄ nō admiscunt in mysterijs aquā uīno. Nō enim credūt (ut uidet) quod aqua ex latere egressa sit, qd̄ admirabilius, sed sanguis tātū. Et hoc loco destruūt magis miraculū. Itaq; sanguis symbolū hominis crucifixi: aqua uero, quod is sit super hominē, hoc est deus.

Exod. 20. Et qui uidit, testimoniū perhibuit: & uerū est testimoniū eius, & ille scit quod uera dicit, ut & uos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleret: Os non cōminuetis Num. 9. ex eo. Et rursus alia scriptura dicit: Videbūt in quē pupugerunt. Nō ab alijs (inquit) Zach. 12. audiui, sed ipse præsens uidi: & uerū est testimoniū. Merito. Iniuriā enim enarrat factam, & non magnum uel honorificum aliquid, ut suspectus sit sermo: sed propter hoc (inquit) hæc diligenter enarro, & ea quæ ignominiosa uidentur, in medium afferō, ut & uos credatis, tanquā omnino ueris, & non fictis. Nam qui ad gratiā loquitur, gloriosa magis ponit. Quia autem & Moses dignior fidē se uidebatur, adducit & hunc testem. Quod enim ille dixit de agno qui immolatur in pascha, quod os non cōfringetur, hoc inquit Euangelista in Christo impletum esse. Et multa est cognatio figuræ ad ueritatem. Impletur autem & alia prophetia, quæ dicit: Videbunt in quem pupugerunt.

pugerunt. Quando enim uenturus est iudicare, tunc uidebunt eum in corpore meliore & diuiniore; & cognoscent hi qui pupugerant, ac lugebunt. Insuper & his qui non credituri erāt, fidei ianua, & indicium fuit quod ab inimicis attentatum, ut Thomæ. Nam per latus fidem resurrectionis accepit. Os quidem Iesu non conteritur, latus autem eius scaturit nobis fontes, essentiā & uitā nobis dantes. Aqua quidē essentiā dedit, quia per eam peruenimus ad hoc, ut Christiani simus: sanguis autem uitam, per ipsum enim patiscimur. Nam agnus quidem uerbum est dei, qui à capite usque ad pedes comedendus. Caput quidē symbolū deitatis, ipsa enim est caput; pedes autē carnis, ipsa enim extrema est. Insuper & intestina eius, mysteria & occulta reuerenter in cibum habentes: ossa nō confringimus, hoc est difficiliore & grauiore sensus. Quæ enim nō possumus intelligere, ea non conteremus: hoc est, non dabimus operam, ut male et periculose intelligamus. Et enim quando sane sentimus, tunc non conterimus. Sana enim seruamus diuina. Quando autem torserimus, & hæreticum sensum acceperimus, conterimus & confringimus solidum & difficilem sensum. Igitur hæc difficilia intellectu, igni tradenda sunt, hoc est spiritui sancto, per quem afficiuntur & terminantur, eo quod omnia scrutatur, etiam profunda deus.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph Arimathiensis, qui erat discipulus Iesu, sed occultus propter metum Iudæorū, ut tolleretur corpus Iesu: idque permisit Pilatus. Venit autem Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primū, ferens mixturā myrrhæ & aloes, ad libras ferme centū. Acceperunt ergo corpus Iesu, & obtinuerunt illud linteis cū aromatis, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autē in loco ubi crucifixus est hortus, & in horto monumentū nouū, in quo nondū quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorū, quod in propinquo esset monumentū, posuerunt Iesum. Quare non unus ex duodecim accessit Pilatū, & ex septuaginta erat Ioseph, & audet hoc? Nam si propter metū Iudæorū dixerit quis delituisse discipulos, & hic eodē correptus fuerat timore. Dicendū igitur, quod hic ualde nobilis fuerit, & Pilato notus: quia nobilis erat. Vnde quū existimasset extinctā esse Iudæorū irā, eo quod aduersarij illis crucifixus nūc esset, absque pauore accedit, & sumptuosam facit sepulturā cū Nicodemo. Nihil diuinū de illo uterque sentiebāt, sed affecti erāt, ut erga purū hominē: quia talia afferebāt aromata, quæ potissimum possent corpora diuturna cōseruare, & cohibere ne statim corrūperent: quod ostendit eos adhuc nihil magnū de eo cogitasse: ueruntamen amorē suū declarant. Nō enim sepeliūt ut cōdēnatū, sed sumptuose, ut mos est Iudæis: quoniam à tēpore impediēbant. Nā nona quidē hora facta erat mors: deinde quū in medio tēpore accessissent Pilatū, uerisimile erat uesperā ingruisse, quo nō licebat operari. Ponūt eū in monumentū. Erat enim in loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentū nouū. Singulari autē dispensatione factū est, ut in propinquo esset monumentū, ut & discipuli possent adesse, & spectatores ac testes factorū fieri, & milites mitti possent ad custodiā: & ut cessaret etiā propter locū furti suspicio: quæ omnia nō contigissent si procul fuisset sepultus. Nouū autē erat sepulchrū, in quo nullus adhuc positus: ut nō calumnie quis resurrectionē, quod alius resurrexerit, & non Iesus. Et aliter quoque nouū monumentū symbolo quodā manifestat futurā nouitatem per sepulturā domini contra mortē & corruptionē, & innotuandi simus omnes in illo. Vide autē & diuitias paupertatis domini propter nos. Qui enim non habuit domum in uita, neque post mortem sepulchrum habet, sed in alieno deponitur: & quum nudus esset, à Ioseph uestitur. Est & nunc Iesus mortuus, quum occiditur ab avaris & uiolentis, uel à fame hoc patitur, sed & nudus est. Quæcunque enim pauper patitur, Christus patitur. Imitare & tu Ioseph, adde aliquid bono. Ioseph enim interpretatur additio: & nuditatem tege Christi, hoc est pauperis. Hoc autem fac non semel. Et in monumento pone animam, & semper memor esto talium operum, cogitaque & cura. Admisce autem & myrrham & aloē. Amara & mordacia seculi illius iudicia animo reponere oportet, & uocem illam quæ maledictos auocat, & in ignem mittit immiteris cordes, quo nihil amariū puto.